

ciorem appellatione non veniant; ipsaque impetratio Beneficii fit *nulla*, si ipsa *Patrimonialis* non sit expressa; uti notat Gonzales dicto loco.

XII. Adhuc observandum, ita institui concursum in hisce Ecclesiis Patrimonialibus, ut tamen qualitati beneficiorum non derogetur. Unde si plures quidem se examini fistant, at unus dumtaxat *Patrimonialis*, sive qualitatem illam habens quam beneficia *Patrimonialis* requirunt, hic alius preferendus erit: si modo & moribus & doctrinâ aliiſque qualitatibus ad regimen Parochialis Ecclesiæ vacantis idoneus sit.

Idipſum locum habet in Ecclesiis Parochialibus que Graduatæ aut Nominatæ Academicis debentur. Hi enim si idonei per examen reperiantur, cæteris concurrentibus preferendi sunt; tamquam qui qualitatem requisitam aut jus aliquod ad Beneficium vacans præ aliis concurrentibus habent: & ita quoad Nominatos Lovaniensæ quotidie præficiuntur.

XIII. Subjungit deinde Concilium hanc formam præscriptam esse servandam, "Cum Ecclesiæ Parochialis vacatio per obitum, vel resignationem, etiam in Curia seu aliter quomodocumque contigerit.

Si hæc verba Concilii in sua generali expressione attendantur, non obscurum erit, Synodum omnem vacationis modum voluisse comprehendere.

XIV. Hic nihilominus visum fuit, subuli satis interpretatione, non comprehendere Parochialem Ecclesiam, quando resignatur coram Pontifice non simpliciter; sed *in favorem* certæ personæ; atque ita quotidie præficiuntur testatur Pyrrus Corradus in *Praxi Benef. lib. 3. cap. 3. num. 5.* eamque interpretationem fundarunt in hoc, quod resignatio *in favorem* non inducat vacationem propriam; uti ibi loquitur Corradus; vel ut dicit Garcias *De Beneficiis parte 9. cap. 2. num. 158.* "Beneficia resignata *in favorem* non dicuntur vacare ad effectum ut alteri conferri possint.

XV. Addit Corradus, hoc casu cessare concursum "sive resignatarius sit proviſus in Curia, sive in partibus. Quando enim resignatarius neque est in Romana curia præſens, neque ad eandem transiſit testimonium suæ idoneitatis, tunc expediuntur litteræ suæ provisionis in forma *Dignum*, quas postea, suo Ordinario præſentabit, ut examinetur non per concursum, sed tantum ab Examinatoribus Synodaliſibus simul cum Ordinario, & si reperiatur idoneus, consequitur possessionem Parochialis Ecclesiæ.

XVI. Cum in permutatione Beneficiorum, non alia intervenire censetur vacatio, quam in resignatione *in favorem*; imò ipsa permutatio tacite contineat resignationem *in favorem*, eadem ratione, nec hic formam concursus requiri tradunt communiter Canonistæ, quos loco citato citat Corradus.

XVII. Licet forsitan non sine fundamento dubitari possit, num hujusmodi interpretatio tam generali expressioni Concilii consonet, præſertim ubi tam discretè & sine ulla distinctione provideri vult per concursum, quando Ecclesiæ Parochialis vacatio per *resignationem etiam in Curia* contigerit, etiam si Parochialis Ecclesia reservata vel affectata fuerit generaliter vel specialiter, nihilominus indubitata hodie praxis est, in hujusmodi resignatione & permutatione cessare concursum; uti testatur Corradus; qui huic praxi obijciens verba Concilii Tridentini ob quæ non videtur sufficere examen sine concursu, respondet: *Quia nihilominus sufficere diu observavimus.*

XVIII. Ne autem per reservationes aut affectiones forma concursus à Concilio præscripta impediatur aut restringatur, addit Concilium: "Etiam si ipsa Parochialis Ecclesia reservata vel affectata fuerit generaliter vel specialiter, etiam vigore indulgi seu privilegi in favorem Romanæ Ecclesiæ, sive Cardinalium seu Abbatum, vel Capitulorum.

XIX. Concilium ut omnem reservationem comprehenderet, exprimere voluit reservationem *in favorem Cardis-*

nalium; eò quòd dubitarent Canonistæ, utrum in generali constitutione, Cardinales, ob eorum eminentem dignitatem & singulares prerogativas, intelligerentur comprehenſi, si nulla ipsorum specialis mentio fiat. Gonzales ad *Reg. 8. Cancell. Gloss. 24. num. 11.*

XX. Sub Decreto Concilii etiam comprehendit Ecclesiæ juris Patronatus; sive quæ ad alicujus Patroni præsentationem aliàs essent conferendæ, ex ipſo Decreto manifestum est. Vult enim "ut Episcopus, & qui *ius Patronatus* habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præſcribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis Examinatoribus nominet. "Hic clarè supponit Concilium, aliquem habere *ius Patronatus* Ecclesiæ vacantis, in cujus provisione formam concursus servari vult; illudque quotidianæ praxi est conforme.

XXI. Verum tantum de jure Patronatus Ecclesiastico hic Concilium loquitur, verba sequentia Concilii aperte declarant; quibus aliam formam providendi Ecclesiis Parochialibus ad *ius Patronatus* laicorum spectantibus præſcribit, quòd nimirum, "qui à Patrono præſentatus erit, ab eisdem deputatis (ad examen) examinari, & non, nisi idoneus, reſertus fuerit, admitti.

XXII. Si *ius Patronatus* sit *merè laicale*, formam concursus servari non debere, apud omnes in confesso est: sed si sit *ius Patronatus mixtum* dubitari posset; eò quòd ex quorundam Canonistarum sententia, qualitas Ecclesiastici tamquam dignior trahere debeat ad se qualitatem laicalem tamquam minus dignam; atque hoc titulo *ius Patronatus* censeatur potius Ecclesiasticum, quam laicale; præſertim in hoc casu; ubi esse Ecclesiasticum magis favet Ecclesiæ; cui melius per concursum proviſum iri præſumitur.

XXIII. Hac indubiè ratione motus Pius V. in citata Bulla quæ incipit, *in conferendis*, inter Parochiales Ecclesiæ concursus subiectas enumerat illas, quæ *Jurispatronatus* Ecclesiastici, vel aliorum seu Clericorum & LAICORUM SIMUL fuerint.

Cui Constitutioni verisimiliter innituntur Declarationes Cardinalium, quibus non semel declaratum est, Ecclesiæ Parochiales *Jurispatronatus mixti* subjacere concursui; etiam quando *ius Patronatus* pertinet pro duabus partibus ad laicum, & pro una tantum ad Ecclesiasticum. Vide Pyrrum Corradum citato *cap. 3.* & Garciam dicto *cap. 2. num. 70.* Eamque sententiam amplexus est S. Carolus in Concilio V. Mediolanensi *parte 3. ut. Quæ ad Beneficiorum collationem attinent.*


XXIV. Verum si revera sint *patronatus mixti*, id est, Laicus & Ecclesiasticus simul ad præsentationem concurrant, ipſe Laicus hic in Belgio concursum excludit: neque per concursum patientur Laici quidquam immitti aut detrahi de jure suo: ipsamque Concilium in Belgio receptum esse cum expressa clausula, salvo jure patronatus Regis ejusque vassalorum notat Zypæus *tit. de Constitut. num. 6.* & notoria praxis ostendit; quæ Ecclesiis Parochiales hujusmodi *Jurispatronatus mixti* à concursu eximit; quemadmodum & ob mixturam Laici, hæc aliæque Beneficia existunt à Reservationibus Pontificiis, & Nominationibus Academicis; unde quoad hunc articulum, nec dicta Constitutione Pii V. nec Declarationes Cardinalium eidem inmixta in Belgio receptæ sunt.

XXV. Si autem *ius Patronatus* ita *mixtum* sit, ut præsentatio *alternatim* sive per *turnum* spectet nunc ad Laicum, nunc ad Ecclesiasticum; ita ut ad eandem præsentationem numquam concurrant, tunc in *turno* Ecclesiastici censetur totum Ecclesiasticum; & consequenter eâ vice Ecclesiæ Parochialis vacans, tamquam ad præsentationem Patroni Ecclesiastici spectans, concursui subiecta est, juxta expressa verba Concilii Tridentini. Neque hoc casu aliquod præjudicium generatur Patrono Laico; quia etiam per collationem in forma concursus factam *turnus* Ecclesiastici consumitur; uti infra titulo De Jure patronatus ostendetur.

CAPUT III.

De Examinatoribus, & examine.

1. Synodus Tridentina desideravit, ut Episcopus per se examini intersit.
2. Licet Episcopus, etiam sine justa causa absit, non propterea concursus est invalidus.
3. Debent ut minus cum Episcopo adesse tres Examinatores.
4. Hi in Synodo Diœcesana quotannis eligendi.
5. Ob intermissionem Synodorum non intermittendus concursus.
6. Nimis inhereat cortici verborum; qui concursum volunt esse nullum ob defectum Examinatorum Synodaliū.
7. Examinatores hodie eliguntur ab Episcopis extra Synodum.
8. Quales eligendi Examinatores?
9. An Synodus in eligendis Examinatoribus aliquem ordinem præscripserit.
10. An ob non servatum ordinem concursus sit nullus?
11. Quid in Examinatoribus præcipue desideraverit Synodus.
12. Ex Decreto Synodi evincitur, gradus Academicos non nimium facile esse annuendos.
13. Juramentum ab Examinatoribus præſtandum.
14. Juramentum illud tantum semel præſtatur.
15. Examinatores nihil occasione examinis accipere possunt.
16. Examinatores sine omni spe retributionis examen facere debent; nec potest Ordinarius stipendium ipsis assignare.
17. Super quibus examen instituentum.
18. Non tantum circa doctrinam, sed etiam alias qualitates.
19. Debet attendi capacitas ad hanc vacantem Ecclesiam.
20. Examinandi circa exercitium orationis.
21. Super formandis concionibus.
22. An unquam aliàs curam animarum egerint?
23. Examinatores totam vitam servem examinare debent.
24. Quam difficile sit per examen, prout hodie instituitur, exactam nostram Examinandorum accipere.

 Concilium Tridentinum vult, ut "transactio constituto tempore, omnes qui descripti fuerunt, examinentur ab Episcopo, sive, eo impedito, ab ejus Vicario generali, atque ab aliis Examinatoribus non paucioribus, quam tribus.

Ex his satis intelligitur, desiderasse Synodum, ut ipſe Episcopus huic examini intersit, eique præſideat; quo præſens possit de capacitate Examinandorum ipſe exactius securiusque judicare. Cumque hic agatur de re summi momenti, & unde præcipue rectum regimen Diœcesis dependet, non facile alia negotia ab hoc examine Episcopos, quibus salus animarum & spirituale Diœcesium regimen cordi sunt, avocabunt: verendumque ne Episcopis circa hoc examen negligentibus, & passim aliis id credentibus, frequenter regeri possit illud S. Bernardi. "Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerunt. Sed, ut liquidd datur intelligi, patientius ferimus Christi jacturam, quam nostram." *Lib. 4. De consil. cap. 6.*

II. Interim quia nonnumquam contingere potest, ut & zelosissimi quique Episcopi nonnullis aliis negotiis gravissimis detineantur, permittit Synodus, ut hujusmodi impedi-

mento occurrente, possit coram Vicario ejus generalis examen peragi. Imò tamen minimè conveniat, cessante justo impedimento, examen Vicario committi, si nihilominus committatur, non propterea inducetur nullitas examinis; aut concursus ob id de nullitate argui poterit; quemadmodum notat Garcias *De Beneficiis parte 9. num. 119.* motuens illa verba, *eo impedito*, posita esse ad demonstrandum, convenire quòd ab Episcopo, cessante impedimento, fiat examen. Huic opinioni conformis est omnium Diœcesium praxis.

III. Vult autem Synodus, ut cum Episcopo ejusve Vicario generali ad sint alii Examinatores non pauciores, quam tres; non quòd præcisè requiratur numerus *trium*; sed quòd non possint esse pauciores quam *tres*.

IV. Ut autem capaciores magisque integri sint hi Examinatores, statuit concilium: "Examinatores autem singulis annis in Diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario, ad minus sex proponantur; qui Synodo satisfaciunt, & ab ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet Ecclesiæ *tres* ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque succedente aliâ vacatione, aut eosdem, aut alios *tres*, quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat.

Ab hac Synodi deputatione seu probatione, hi dicuntur Examinatores *Synodales*.

V. Concilium Tridentinum eadem hæc Sessione, quæ promulgavit Decretum de forma concursus ad Ecclesiæ Parochiales, etiam decreverat *cap. 2. ut Synodi Diœcesanae quotannis celebrentur*. Hac ergo Decreti executione supposita, & ei conformi annuâ celebratione Synodi Diœcesanae, optima ratione decrevit Concilium, ut *quotannis* in Synodo Examinatores ad examen concursus deputarentur. At supponere Concilium voluisse, ob intermissionem Synodorum, etiam concursum esse necessariò omittendum; eò quòd Examinatores in Synodo propoli & probati non haberentur, à ratione alienum, & nimis literale est.

VI. Cùm enim Concilium hanc formam concursus & examinis proposuerit tamquam medium aptissimum, quo diligentius ac rectius Ecclesiis Parochialibus provideatur, credideritque maximè expedire animarum salutem à dignis atque idoneis Parochis eas gubernari, nullatenus verisimile est, Concilium ab hac formalitate voluisse validitatem concursus dependere; aut eam examinandi rationem cessare propterea, quòd Examinatores in Synodo Diœcesana deputati non habeantur.

Unde Zypæus *Consul. 1. De Elect.* inter nullitates concursus à Barbosa aliisque cortici verborum nimium inhereantibus contra mentem Synodi allegatas, reponit sequentes; quòd "Examinatores in Synodo non sint approbati, & quidem *tres* in Synodo approbati non sint adhibiti, vel singulis annis in Synodo sex Examinatores non sint propoli, nominatim quidem, & non in genere, vel sub nomine dignitatis, vel in locum denominatorum eo anno mortuorum alii surrogati non sint ab Episcopo cum consilio Capituli, & dummodo mox intra annum Synodus celebrentur: nam elapso anno Synodi, omnium officium expirare volunt, adeò ut nisi sex in Synodo nominati superintendant, cæterorum officium nullius sit momenti, nec Episcopo liceat alios sumere; adeò quidem ut quamvis in prioribus Synodis probati sint Examinatores, nullius flocci sint, nisi in ultimis Synodis sint expressè confirmati, & quidem tam scrupulosè, ut quamvis competentium numero Examinatores fuerint Synodales, si quis tamen accesserit non Synodalis, actum aliorum irritum." *et.*

Has aliasque nullitates ex ipſo verborum rigore petitas, & quæ hodie ubique concursum cessare facerent, videre est apud Barboſam *De Officio Episcopi parte 3. Allegat. 60. & Masobrium in praxi habendi concursum Requisito 11. & 12.* quas & communis praxis omnium passim Diœcesium, in quibus concursus viget, tamquam menti Concilii Tridentini contrarias rejectit.

VII. Examinatores neceſarios credunt Epifcopi; at ii, dum Synodus Diœceſana ob temporum & rerum circumſtantias haberi nequit, ab ipſis Epifcopis tamquam Synodi Diœceſanæ Præſidibus & præcipuis directoribus eligi poſſunt; uti & ab ipſis etiam ſine conſilio ſui Cleri aut Capituli erigi, longo uſu invaluit: dicunturque nihilominus examinatores *Synodales*; eo quod fungantur vice illorum, qui à Synodo eſſent probandi.

VIII. Quales autem Concilium deſideraverit in examinatores aſſumi, declarat verbis ſequentibus: "Sint verò examinatores Magiſtri, ſeu Doctores, aut Licentiaii in Theologia, aut Jure Canonico vel alii Clerici, ſeu Regulares, etiam ex ordine Mendicantium, aut etiam ſeculares, qui ad id videbuntur magis idonei."

IX. Credit multiſque aſtrueri conatur Fagnanus ad *Cap. INTER CÆTERA* & *De Reſcriptis*, à Concilio inter diverſa perſonarum genera hic expreſſa, non eſſe datam opinionem Epifcopo deputandi in examinatores quos vellet; ſed potius ordinem eſſe præſcriptum, "adeò ut Clerici, eos gradu Magiſterii aut Doctōratus, aut Licentiatūre carentes eligere non debeat, ubi aliorum his qualitatibus præditorum copia ſuppetat." Et conſequenter Epifcopum ad ſecundam partem alternativæ, quæ incipit à particula diſjunctiva *Vel*, pervenire non debere, quamdiu primæ poſſit eſſe locus.

X. Monet tamen Fagnanus ibidem *nu. 54.* "eſſi Epifcopus eligere debeat examinatores prædictis qualitatibus inſignitos, ſi eorum copia ſuppetat; non tamen ſequitur, ut ſi alios Clericos eligat, concurſus propterea ſit nullus." Deinde ſubjungit: "Sacra Congregatio Concilii aliàs conſulta in caſu Montis Regalis, an concurſus habitus coram examinatore ſynodalibus *non Doctōribus, vel Magiſtris, aut ſaltem Licentiaii* in Theologia, vel Jure Canonico ſit nullus, cum præſertim alii exſtant his qualitatibus præditi: Die 2. Auguſti 1602. reſpondit, debuiſſe quidem eligi examinatores, qui ſint Magiſtri, ſive Doctōres, aut Licentiaii in Theologia, aut Jure Canonico. Cæterum etiam ſi his qualitatibus careant, concurſum *non eſſe propterea nullum.*"

XI. Etiam hæc nullam de validitate concurſus quæſtionem moveri intelligimus, tamen ſi omniſis Graduatis in examinatores aſſumantur Clerici non Graduati. Equidem Decretum Concilii ſat evincit, voluiſſe Concilium indicare, in examinatores eſſe aſſumendos, qui eruditione aliſque dotibus magis idonei ſunt: qui huic examini, à quo Eccleſiarum Parochialium proviſio dependet, non tantum corporaliter præſentes ſint, & aliquas quæſtiones præformatas proponere queant; ſed juſtum rectumque judicium de concurrentium capacitate ad regimen animarum ferre poſſint.

XII. Hic ruruſus nota, Concilium ſollicitum, ut idonei examinatores eligerentur, Graduatos ſpecialiter deſignaverit; tamquam qui publicum capacitatis & eruditionis teſtimonium acceperint: quo ruruſus elucet, quomodo Eccleſiæ imponant, qui hujusmodi publica teſtimonia nimia facilitate annuntiant de quo ſupra *tit. 19. cap. 4.*

XIII. Hi examinatores ex præſcripto Concilii Tridentini jurare debent "omnes ad ſancta Dei Evangelia, ſe, quæcumque humanâ affectione poſtpoſita, fideliter minis, executuros."

XIV. Juramentum non in quolibet actû examinis præſtari debet, nec præſtari ſolet; ſed tantum ſemel in initio aſſumptionis: quamvis optandum eſſet, ut examinatores ad examinandum properantes, ſemper præſtiti à ſe juramenti meminiffent, omnemque humanum affectum deponerent; ac ſignanter placendi Epifcopo, à quo dependent, & non raro promotionem ulteriorem exſpectant, quo facile contingit, affectu excæcantes, ut favorabilius judicent de iis, quos noverunt Epifcopo gratiores: licet etiam ſciant, aut facile ſcire poſſint, Epifcopum humano affectu erga nonnullos præoccupatum: de quo affectu nimirum placendi, hodie major ſuſpicio eſſe poteſt, dum à ſolo Epifcopo conſtituuntur.

XV. Ut magis integri & indifferentes ſint examinatores, vult Concilium, ut "caveant, ne quidquam proſus occaſione hujus examinis, nec ante, nec poſt accipiant alioquin ſimonie vitium, tam ipſi, quam alii dantes incurrant, à qua abſolvi nequeant, niſi dimiſſis beneficiis, quæ quomodocumque etiam obtinebant, & ad alia in poſterum, inhabiles reddantur."

XVI. Hic rigor ſatis inſinuat, Concilium omninò voluiſſe, ut hoc examen ſine omni ſpe remunerationis perageretur: ne vel ſpe munerum Examinatores in judicando excæcari contingeret. Inò teſte Garcia *De Benef. parte 9. c. 2. nu. 374.* declaravit S. Congregatio: "Non poteſt Ordinarius ſtatueri aliquod ſtipendium, etiam minimum Examinatoribus deputatis in Synodo pro concurſu Parochialium, & ſi Synodus Diœceſana ſecus ſtatuerit, Decretum eſſe irritum & nullum."

XVII. Statuto tempore per Edictum tranſacto, omnes qui deſcripti fuerint, ab Epifcopo ejuſve Vicario & Examinatoribus Synodalibus examinari debent juxta Decretum Concilii Tridentini.

Circa quæ examen verſari & inſtitui debeat indicat Synodus ubi poſtquam dixit, liberum eſſe etiam aliis, quam Epifcopo & Patrono, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deſerre, ſubjicit: "Ut poſſit poſtea de cujuſlibet ætate, moribus & ſufficiencia fieri diligens inquiſitio." Idipſum clariùs expreſſit his verbis: Peracto deinde examine renuntientur, quotquot ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis.

XVIII. Hic patenter ſupponit Synodus, examen non tantum circa doctrinam, ſed etiam cæteras qualitates ac dotes ad regendam Parochialem Eccleſiam neceſſarias eſſe inſtitutum: aliàs enim quomodo per acto examine renuntiare poſſent, qui non doctrinâ dumtaxat, ſed & moribus, prudentiâ & cæteris rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis eſſent idonei?

XIX. Notat dignum, quod Concilium velit, ut non tantum examinetur, an quis ſit idoneus ad Parochiam regendam; ſed utrum ſit idoneus ad hanc *VACANTEM Eccleſiam adminiſtrandam*. Quis enim neſcit, quempiam poſſe ſufficere Parochiæ rurali & paucorum incolarum regendæ, qui non ſufficiat Parochiæ urbanæ & numeroſe adminiſtrandæ? Hinc S. Carolus in Concilio Mediolanenſi *parte 3. tit. De examinandi ratione* vult: "cum initur examen illius, cui in curam certa Eccleſia Parochialis tradenda eſt, videant ante examinatores, qui, qualis, & quam numeroſus populus ſit, cujuſ Parochialem curam in ſe ſuſcipiet. Quæ ſanè re diligenter exploratâ, in examine, quod inibunt, ſibi proponant accuratè perſpicere, an ad eam curam ſuſcipiendam gerendamve idoneus omninò ille ſit."

XX. Eodem loco deſcribit, S. Carolus ſuper quibus poſſimum examen inſtitui debeat; atque ut primò de toto vitæ ſtatu, & genere ejus quærat, qui examen ſubit.

Deinde inter alia quæri vult, "An in orationis ſanctæ ſtudio uſque verſatus. Quibus meditationibus inſtructus, Deus tacitus oret. Qui orationis modus. Qui illius fructus, quæve utilitates. Quæ regulæ præparationis ad orationem, & cætera multa ejuſdem generis, prout prudens piuſque examinatur, pro ratione aut perſonæ de qua quæritur, aut cauſæ ob quam ſit examen, opus eſſe viderit. Hæc tamen ſi ab omnibus, qui clericali militiæ adſcribuntur perquiri velit, monet tamen: "cum *maximè* ab iis qui vel Sacerdotio inſtituti, vel Parochialem curam ſuſcipiunt, ciunt, vel ſacræ confeſſionis audiendæ munus ſumunt, vel in tractatione Verbi Dei, ſacriſque concionibus verſati volunt."

XXI. Poſt hæc adjungit nonnulla ſpecialiter quærenda ab iis qui Eccleſiis Parochialibus præficiendi ſunt; nec ſolum quærat, ſed & *experiendo cognoscatur*, inquit, "An ſermones contexere, habere ve ſciant."

"An ſi quos habuerint, unde ſumpſerint, aut quam illis contendendis conſcribendiſve rationem adhibuerint; & verò ſi quos apud ſe conſcriptos tunc habeant, eos oſtendant atque tradant."

"An in eo genere aliquid ex tempore poſſint, tunc ex temporaneo, brevique ſermone periculum fiat, quantum concionando valeant."

XXII. Præterea illud quæri ſtatuit. "An aliàs umquam curam animarum geſſerint: quod ſi aſſumentium interrogentur etiam, & ubi geſſerint, & cur inde deſeſerint."

"An intelligant quanti illud ſit, animarum curam ſuſcipere, ruruſque gerere, quæque partes ac virtutes illæ ſint, quibus bonum ac vigilantem animarum curatorem prædictum eſſe oportet."

XXIII. Hæc pauca ex pluribus ibidem propoſitis, ſat oſtendunt, S. Caroli mentem fuiſſe, ut examinatores circa totam vitæ rationem, & omnes conditiones in Parocho requiſitas ſedulo inquirerent, & examen inſtituerent.

Ex hac quoque examinandi ratione apparebit, quàm procul à ſpiritu S. Caroli abſint examinatores illi, qui hærentes circa ſteriles nonnullas, & abſtruſas quæſtiones, quæ ad directionem populi nihil aut parum conferunt; & de qualitatibus ac ſcientia Paſtoris boni nullam aut exiguam curam habent.

XXIV. Porrò quæ tum de examinatore, tum examine Ordinandorum dicta ſunt *tit. 9. cap. 4.* hic quoque applicari poſſunt, atque imprimis hic maxime locum habet, quod ibidem obſervatum eſt, quàm difficile ſit ex teſtimoniis adſerri ſolitis, de vita & moribus examinandorum judicare, ni aliunde noti ſint auctores teſtimoniorum, quamque temerè hiſce teſtimoniis ſapies fides habeatur. Deinde quam parum ſufficere queat examen unius alteriſve horum, ut ſufficiens notitia habeatur capacitatis ad regimen animarum, quæ eſt *ars arrium*.

CAPUT IV.

De Renuntiatione Idoneorum, de Electione magis idonei; & de collatione huic faciendâ.

1. Peracto examine renuntians qui ſunt idonei.
2. Inter examinatores conciditur à pluralitate ſuffragiorum: & in paritate decidit Epifcopus.
3. Deſiſſio hæc faciendâ in ipſo examine.
4. Examinatores judicium ſuum dare debent collegialiter.
5. Debent dare judicium de idoneitate quoad omnes qualitates.
6. Non omnia requirantur ad eſſentiam concurſus.
7. Ex approbato Epifcopus debet eligere digniorem.
8. Epifcopi eſt judicare quis ſit dignior.
9. Vigore Concilii Tridentini à judicio Epifcopi in electione dignioris non appellatur.
10. Appellationem permittit Conſtitutio Pii V.
11. Ad hanc appellationem non requiritur prævia probatio irrationabilis judicii Epifcopi.
12. Non paſſim tamen nec facile hic admittenda appellatio.
13. In Belgio Conſtitutio Pii V. recepta non eſt.
14. In hac electione Epifcopus non aſtringitur judicio Examinatorum.
15. Non poteſt tamen eligere illam quem Examinatores judicarunt in idoneum.
16. Electo tamquam magis idoneo faciendâ collatio ab eo ad quem de jure pertinet.
17. In reſervatis videtur collatio petendâ à Pontifice.
18. Id in Belgio non ſervatur & quare?
19. Hæc obtinent in Parochialibus liberæ collationis. Van Eſpen *Jur. Eccl. P. II.*

20. Decretum Concilii Trid. quoad Eccleſias *Jurispatronatus Eccleſiaſtici.*

21. Concilium loquitur de inſtitutione authorizabili.

22. Attento jure communi videtur electio dignioris potius Patrono, quam Epifcopo delata.

23. Aliquando judicatum electionem Patrono competere.

24. Inſtitutio etiam authorizabilis poteſt competere Archidiacono.

25. Malè confunditur inſtitutio cum datione cura animarum.

26. Archidiacono competit interdum inſtitutio jure tantum delegato.

27. Poteſt etiam jure proprio & ordinatio eam habere.

28. Poteſt electio dignioris competere Epifcopo, tamen ſi inſtitutio pertinet ad Archidiaconum.

29. Capitulum ſede vacante conſert Parochiales; & inſtituit concurſum.

Iteracto examine (ait Concilium Tridentinum) "renuntientur, quotcumque ab his (examinatoribus) idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam adminiſtrandam opportunis."

II. Si inter examinatores non conveniat ſuper idoneitate, aut inidoneitate aliquorum qui examinati ſunt, tunc à pluralitate ſuffragiorum concluditur; aut ſi vota ſint paria vel ſingularia, accedere poterit Epifcopus, ejuſve Vicarius qui in examine præſens fuerit, quibus magis videbitur, uti loquitur Synodus Tridentina.

III. Hæc autem accessio fieri omninò debet in ipſomet examine, & coram iſdem examinatore ſimul congregatis, non autem ſeparatim, ait Maſſobrius in Praxi habendi concurſum *regulæ 3.* ſequitur Garcia de *Benef. parte 9. cap. 2. n. 58.* Rationem ſubjicit: "Nam approbatio vel reprobatio eorum qui examinantur, non poteſt fieri ſeparatim, ſed ab examinatore ſimul cum Ordinario." Notat quoque ibidem *num. 56.* à S. Congregatione reſolutum fuiſſe: "examen eſſe faciendum coram Epifcopo, vel ejuſ Vicario abſque eorum voto *deſiſſivo*, & tantum eos poſſe accedere, ubi vota ſunt paria, vel ſingularia."

IV. Idipſum tradit Cardinalis de Luca in annotatione ad hoc *cap. 18.* Concilii Tridentini *num. 9.* dicens quod examinatores "collegialiter jure, votum, ſive ſecretum, ſive publicum, aut in ſcriptis vel ore tenus, pro diverſis locorum ſtyliſ in ipſo actu, proferre debeant, quos ſcilicet approbent, & quos reprobent."

V. Cum capacitatis ad regendam Eccleſiam Parochialem non conſiſtat in ſola doctrinâ, etiam non ſufficit, ut examinatores proferant judicium ſuper ſola concurrentium doctrinâ; ſed requiritur, ut renuntient, ac judicent qui inter examinatos ſunt *abſolutè* idonei ad vacantem Eccleſiam adminiſtrandam; uti ex ſupra relatis concilii verbis eſt manifeſtum. Unde teſte Garcia *De Benef. parte 6. cap. 2. n. 236.* cenſuit congregatio, "quod huic Decreto non eſt ſatisfactum per relationes Examinatorum, quorum aliqui ſimpliciter renuntiarunt examinatum idoneum quoad literaturam, aliique approbaverunt eum ad literaturam, quoad reliqua dicentes eſſe *omnes* Epifcopi."

VI. Verum ſi quid ex his omiſſum eſſet, v.g. ipſi examinatores *abſente* Epifcopo, ſua vota in communi collegialiter, judiciumque depromiſſent, & Epifcopo *abſente* illud per litteras ſignificaffent, uti hic fieri ſolet, nequaquam propterea de nullitate concurſus erit arguendus.

VII. "Ex his (ab examinatore ſimul tamquam idoneis renuntiat) Epifcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit," ait Concilium Tridentinum.

Debet ergo vi Decreti Concilii Epifcopus ex renuntiatum tamquam idoneis ad vacantem Eccleſiam adminiſtrandam